



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi Simigiensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Romani Pontificis Lib. XIII. 501

eorum altero &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij, anno tertio decimo.

PRIORI ET FRATRIBVS sanctorum quatuor Coronatorum.

Epist. 197.
Confirmatur
coincidentia.
Vide lib. 15.
epist. 79.

Cum super usu & iure parrochiae inter vos & Priorem ac conventum Lateranensem controversia verteretur, dilectum filium nostrum C. tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyterum Cardinalem dedimus partibus auditorem. Qui petitiones audivit, & testes utrinque recepit, ac demum attestationibus publicatis, & exhibitis instrumentis, nos ad talem concordiam vos & ipsos induximus, ut videlicet vos non extendatis jus & usum parrochiae citra Ecclesiam sancti Nicolai de formis ex parte illa, nec citra arcum Iohannis Basilij ex parte altera intra formam, & ipsi similiter ultra eosdem terminos versus vos jus & usum parrochiae non extendant. Hanc ergo concordiam a nobis pro bono pacis provisam, & a vobis & illis sponte receptam, auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus, ita ut per eam non derogetur in aliis limitationi parrochiae quam felix memoriae Calixtus Papa suo privilegio designavit. Statuentes ut nulli omnino &c. nostrae provisionis & confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Idus Decembris, pontificatus nostri anno tertio decimo.

MAGISTRO ET FRATRIBVS militiae Templi in Vngaria constitutis.

Epist. 198.
Confirmatur
commutatio.

Illis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, & vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis petitionibus inclinati, commutationem inter vos & venerabilem fratrem nostrum Zagabriensem Episcopum super quibusdam decimis & aliis rebus initam, sicut pie ac providè facta est, & in authentico super hoc confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani x i. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

E I S D E M.

Epist. 199.
Confirmatur
in donatione
facta à Rege
Vngariae.

Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis petiti-

onibus inclinati, locum sancti Martini cum appendiciis suis, villas, possessiones, & alia vobis à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Vngariae pia devotione collata, sicut ea iuste ac pacificè possidetis, & in ipsius authentico super hoc confecto plenius continetur, vobis & per vos domui vestrae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum ut in alia.

ABBATI ET CONVENTUI Simigiensi.

Epist. 200.
Recipiuntur
sub protectione
B. Petri.

Cum a nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducat effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & Simigiense monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti patrocinio communimus, libertates & immunitates à Regibus & Principibus monasterio vestro concessas, dignitates quoque, ac antiquas & rationabiles consuetudines obtentas & haecenus observatas, auctoritate vobis apostolica confirmantes. Ad indicium autem hujus nostrae protectionis & confirmationis perceptae fertorem auri gratis oblatum nobis & successoribus nostris annis singulis persolvatis. Nulli ergo &c. nostrae protectionis & confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani vi i. Kalend. Februarij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

MAGISTRO PETRO BOIOL Canonico Lemovicensi.

Epist. 201.
Confirmatur
ei praebenda.

Proposuiti dudum coram dilecto filio Pelagio sanctae Luciae ad septa solis Diacono Cardinale, quem tibi & Pœnitentiario Lemovicensi concessimus auditorem, quod cum dilecto filio nostro Gualæ sanctae Mariae in Porticu Diacono Cardinali tunc in partibus illis apostolicae sedis Legato quidam de Lemovicensibus Canonicis supplicassent ut in eorum Ecclesia, quae debito fraudabatur servitio, Clericos ordinaret, pro te ac magistro Andrea scriptore nostro preces specialiter porrigentes, ipse Lemovicensem civitatem ingressus, Canonicos interpositis precibus monuit ut vos reciperent in socios & in fratres; maximè cum quinque praebenda vel quatuor ab ultima ipsius Ecclesiae ordina-

R r r iij